



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Theologia Moralis, Seu Resolutio Casuum Conscientiæ

Juxta Sacram Scripturam, Canones, Et Sanctos Patres

Continens Tractatus de Sacramentis in genere; de Baptismo, de Confirmatione, Eucharistia, Sacrificio Missæ; Constitutionem Innocentii XII. super celebratione Missarum, variaque alia decreta

Genet, François

Parisiis, 1703

Q. 2. Quandonam materia censetur præsens?

urn:nbn:de:hbz:466:1-40834

De Sacram. Euchar. Cap. III. 137

Species vini, non posset perfici Sacramentum.

Et summus Pontifex Honorius III. relatus in Canone sic scribit ad quemdam Archiepiscopum ut impediret abulum in sua Provincia jam introductum, quo major quantitas aquæ quàm vini in Calicem infundebatur.

Perniciosus, ait; in tuis partibus, inolevit abusus, videlicet quòd in majori quantitate de aqua ponitur in Sacrificio quàm de vino: cum secundum rationabilem consuetudinem Ecclesie generalis, plus in ipso sit de vino, quàm de aqua ponendum. Ideoque fraternitati tuae mandamus, quatenus id non facias, nec in Provincia tua fieri patiaris.

Cap. Perniciosus. De Celebratione Missarum.

C A P U T III.

De Præsentia & determinatione materia consecrande.

Quest. I. EST-ne necesse ut materia quam Sacerdos consecrare intendit, sit præsens?

Resp. Est absolutè necessarium, ut enim ait Divus Thomas: Ipsa forma pronomine demonstrativo utens, ostendit quòd materia consecranda debet esse coram sacerdote, unde Sacerdos existens in domo sua, non posset consecrare panem qui est in Altari.

D. Tho. in 4. dist. 11. q. 2. art. 1. quæstiuncula 3. ad 1.

Quest. 2. Quandoam materia consecranda censetur præsens?

Resp. Ut respondeatur quæstioni propositæ, supponendum est duplicem esse præsentiam, alteram Physicam, & alteram moralem. Præsentia Physica est proximitas, seu approximatio unius rei ad aliam. Præsentia moralis dicit præter proximitatem, rei cognitionem,

& advertentiam de illius præsentia. v. g. Si Hostia sit super Altare propè Sacerdotem, est illi physicè præsens, sive Sacerdos advertat, sive non; quòd si advertat adesse Hostiam, tunc Hostia censetur esse præsens moraliter.

Hoc supposito, certum est, requiri ad validitatem Sacramenti, quòd Hostia sit præsens moraliter, id est quod nimis non distet à consecrante, & quod advertat esse præsentem advertentiã actuali, aut virtuali. Ratio est quia demonstrativa pronomina, hoc, & hic, ostendunt necesse esse, ut res præsens cognoscatur ab illo, qui eam demonstrat; hoc autem dicitur esse moraliter præsens.

Quæst. 3. Requiritur-ne ad præsentiam moralem, quòd Sacerdos videat materiam consecrandam?

Resp. Hoc non est necesse, cùm materia possit censi moraliter præsens, licèt à Sacerdote minimè videatur; ut cùm vult consecrare centum particulas in Pixide, non potest omnes & singulas videre, quamvis sint moraliter præsentibus; sicut etiam Sacerdos cæcus, qui teneat præ manibus Hostiam, aut coram se haberet, utique consecrare posset, licèt Hostiam non videret.

Quæst. 4. Possunt-ne consecrari particulae in vase operto seu clauso?

Resp. Possunt validè consecrari, cùm censeantur sufficienter præsentibus; attamen, ut habetur in Rubricis Missalis: *Si adsit vas cum aliis Hostiis consecrandis, antequam accipiat Hostiam, discooperit manu dextera Calicem seu vas aliarum Hostiarum.*

Quæst. 5. Materia consecrationis debet-ne necessariò determinari ab intentione Ministrantis?

Resp. Juxta Rubricas Missalis, De Defecti-